



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Panem Nostrum Quotidianum Da Nobis Hodie.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Id est, victum, pacem, defensionem, bonam ualitudinem, & liberos uocationum perferre possimus, successum in rebus gerendis iuxta uocationem, liberorum educationem, mediocrem tranquillitatem, hospitia, politiam honestas, disciplinam, iuris, iudiciorum cultum, & non dissipatas seditionibus, laxatione disciplinam, aut bellis.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA.

TOTIES iam dictum est, in omni precatone primum petendum esse remissionem peccatorum, & fidem de conciliatione semper optere prælucere cæteris petitionibus. Semper initio mediator Christus inuocatur, & petamus ac credamus nos propter eum recipi posse audiri, sciamus hunc sacerdotem pro nobis interpellare, & hac fiducia ad Deum accedamus, sicut sæpe dictum est: Iustificati fide petebimus, & accessum ad Deum. Item: Habentes pontificem lesum adedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Cum igitur semper in inuestigatione indignitas nostra nobis obstrepat, ac deterreat nos a Deo, ut trepidam mentes fugiant Deum, hic simul iubet Christus, ut petamus reconciliationem: & non iuberet petere, nisi uere daturus esset. Hic igitur attendenda mens de remissione peccatorum, & de Mediatori: Christo diligenter cogitet. Est autem insignis confessio Ecclesiæ, in his ipsis uerbis agnoscentis se circumferre peccata & multiplicem infirmitatem. Sed consolatio hic proponitur. Cum enim ipse Christus iubeat nos petere remissionem, haud dubie eam donabit. Et in hac recitatione mens simul recordetur expressas promissiones, ut 1. Ioh. 1. Si dixerimus nos non habere peccata, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Si confitebimur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra.

QVOD autem hic additur: SICUT NOS REMITTIMUS: admonemur de penitentia, ne perseueremus in delictis contra conscientiam. Quia cum mens retinet contemptum Dei, non exauditur, iuxta illud: Peccatores Deus non exaudit, uidelicet perseuerantes in delictis contra conscientiam. Et 1. Ioan. 3. dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus erga Deum, impetraturos nos esse, quæ petimus, id est, si non perseueramus in delictis contra conscientiam. Eodem pertinet dictum Matt. 5. Si munus offeres ad altare, & recordatus fueris, fratrem aliquid contra te habere, &c. Et ipsius Prophetæ inculcant hanc sententiam, non placere Deo ceremonias & preces eorum, qui perseuerant in delictis contra conscientiam, ut Isaiæ 1. & 58.